



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

III. An, & quomodo liceat religiosum statum relinquere post factam
professionem nullam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

reuera non est simpliciter necessaria ad profitendū, & ideo dici potest aliquo modo concomitans, tamen ex presumptione iuris talis esse declaratur.

Ad aliam vero rationem respondetur, illas duas intentiones non esse repugnantes, quod est per se manifestum, quia obiecta sunt diuersa, & non inuolunt contrarietatem, vel contradictionem, scilicet scire, & non vere profiteri; vere autem, & non tantum sicte castitatem vouere; nihil ergo obstat simul nolle profiteri, & vere promittere castitatem. Item non repugnat nolle castitatem vt partem professionis, velle autem illam solitarie, & vt quoddam totū. Non est autem simile, quod obiciebatur, si quis intendat profiteri, & non vouere castitatem, nam in his intentionibus est repugnantia, quia est intendere totum sine parte essentiali, & ideo illa intentio est inefficax tanquam de re impossibili. Quod sic amplius declaratur, distinguendo in promissione traditionē à tribus votis. Possit ergo quis in eo casu intendere vere, & ex animo se tradere, non tamen adiungere traditioni promissione castitatis, vel etiam alias; aut potest velle ex vna parte facere veram traditionē cum professione sufficienti ad statum religiosum, & non obligari ad castitatem. Hoc posterius dicimus inuoluerē claram repugnantiam, & ideo si quis intelligat quid intendat, & velit, & nolit, impossibile est, vt habeat simul talem intentionem, quia esset simul velle contraria cognita; si autem non intelligit quid velit, aut quid nomine professionis significetur, tunc eo ipso non obligatur, quia talis ignorantia causat inuoluntarium, vt in principio materiae de voto in simili puncto declarauimus. Illud autem prius non videtur inuoluerē tantam repugnantiam, quia traditio est reuera quid distinctum à professione, & quantum est ex se, possit fieri sine illa, sicut in oblatione hinc quaedam traditio religioni sine tribus votis, & in matrimonio fit traditio sine vlla promissione. Nihilominus tamen in prædicto casu illa traditio non maneret valida, quia non acceptaretur. Nam iuxta institutionem Ecclesiae non acceptatur traditio professionis, nisi vt velita, & firmata, ribus votis: in eo autem casu intenditur fieri sola, & sine votis, & ideo non acceptatur, ideoque rota professio quoad omnem effectum inualida relinquitur, nam valor traditionis ex acceptance pender; in nostro autem casu promissio simplex castitatis, vt valida sit, non pender ex acceptance, sed ex sola intentione vouentis.

Vltimò addi solent alii casus, in quibus professio est nulla iure Canonico, & aliquam relinquit obligationem. Vnus est quando quis suscipit habitum religionis, cum proposito mutandi vitam; nam ibi professio non tenet, & nihilominus relinquit obligationem simplicem & generalem assumendi statum religiosum, vt iura docent. Verum tamen eadem iura declarant ibi non interuenire professionem expresse, nec tacitam, & ideo casus non est ad rem, quia ibi non est professio apprens, & nulla, sed omnino neque apprens est, ideo si aliquis relinquit effectus, non pertinet ad professionem veram, vel apparentem, sed ad aliud genus voti publici, vt ex superioribus constat, vbi hanc expositionem magis probauimus.

Idem dicendum censo de alio casu indicato ab Angelo ver. *Professio*, condit. 2. & Syluestro *Religio* 3. quæst. 14. & Nauat. comment. 2. de regularibus nu. 5. de illo qui proficetur religionem cum tribus votis substantialibus in manibus Episcopi; illa enim professio est nulla, & tamen relinquit obligationem tenendi castitatem, vel alia vota, si emissa fuerint. Verum tamen ille casus, quid quid sit de veritate eius, non est ad rem de qua agimus, quia loquitur.

Fr. Suarez de *statu relig.* tom. 3.

mur de professione facta in religione approbata, quæ saltem apparenter, & in foro Ecclesie possit videri professio constitutiva status religiosi. Illa autem professio, de qua dicti auctores loquuntur, non est huiusmodi, vnde æquiuoce dicitur professio eo modo, quo virgines omnes simpliciter vouentes castitatem, dicuntur profiteri continentiam, & assumptio cuiuslibet modi viuendi honeste cum aliqua obligatione vocari solet professio, vt supra dictū est. Vnde in eo casu, eo modo, quo illa est professio, non est inualida, quia nullum habet defectum, in sua specie, (vt sic dicam,) & ideo quamuis non valeat ad constituendum proprie religiosum, quia neque ad hoc fit, habere optime potest suos proprios effectus, propter quos fit, si cum sufficienti voluntate, & absque ignorantia fit. Quod ideo addo, quia si quis faceret talem actum, putans se facere illo modo veram professionem secundum aliquam regulam approbatam, putans Episcopum habere potestatem ad admittendam illam, tunc proprius dici posset illa professio nulla, vt nunc loquimur, & reuera ex vi illius intentionis non relinqueret aliquam obligationem, quia esset sine sufficienti voluntate ratione deceptionis, qua interueniente, ille non intendit se obligare ad talia vota, nisi in statu vere religioso, & ideo cum hæc conditio obtenta non fuerit, obligatio oriri non potuit, nisi ponamus habuisse aliunde intentionem absolutam obligandi se, vt posset iuxta dicta in superiori puncto.

Vltimus casus addi potest ex Innocentio in cap. *porrectum*, de Regular. de professione facta in manibus eius, qui non potestmittere ad religionem quam dicit valere in vi voti simplicis religionis. Sed hic casus non est distinctus à precedenti, nam quoad hoc eadem est ratio de Episcopo, & de quolibet alio, qui non habeat potestatem incorporandi alicui religioni approbatæ, & ideo si ex certa scientia ita facta est, illa nec apprens traditio, aut professio est, sed sunt simplicia vota facta coram aliquo, quasi coram reffe; si autem ex deceptione facta est, tunc erit putata professio, non tamen relinquet obligationem voti simplicis religionis, quia illud emissum non est, sed ad summum relinqueret potestatem simplicem obligationem votorum, quæ emissa fuerunt, si ex parte vouentis interuenit sufficiens intentio iuxta proxime declarata.

CAPVT III.

*An, & quomodo liceat Religiosum statum relin-
quere post factam professionem
nullam.*

Supponendum est talem professionem non fuisse ratificatam, alioqui locum non habet hæc questio, nam ex quo talis professio rata est habitam, valida iam est, & omnino seruanda, iuxta cap. *significatum*, de irregular. & cap. 1. eodem tit. in 6. cum similibus; imò etiam supponimus, qui sic professus est, nolle priorem professionem inualidam ratam habere; quod licite posse facere supposita nullitate prioris professionis, constat ex proxime dictis in super. cap. & simpliciter affirmat Nauarrus in comment. 4. de Regular. num. 75. vbi etiam ait iuste quoad forum conscientie posse talem personam relinqueret habitum non incurrendo apostasiam, nec excommunicationem quoad illum forum. Et ratio est, quia talis professio non constituit religiosum (supponimus enim esse inualidam simpliciter, etiam quoad substantiam status religiosi); ergo non obligat per se ad perseuerandum; ergo potest sic professus iura conscientie relinqueret habitum, & statum, quia solum ex vi professionis, & votorum potest ad hoc obligari, neque est aliqua lex naturalis, aut diuina, quæ in illo

I. *Suppositio prima.*
Secunda.

casu talem obligationem imponat; neque etiam est
villa lex Ecclesiastica, nec fortasse esse potest, vt paulo
inferius magis explicabitur.

2. *Corollariū.* Ex quo fit consequenter, vt possit talis persona,
relictā religione quemcunque statum assumere pro
suo arbitratu, quantum est ex vi prioris professionis.
Pater, quia ablata obligatione professionis tam li-
ber est sicut antea erat. Dico autem, quantum est ex
vi talis professionis; nam si aliunde ratione alicuius
voti simplicis aliqua obligatio relinquatur, oportet
bit eum statum assumere, in quo tale votum nō vio-
letur, iuxta dicta in vltimo puncto præcedentis ca-
pituli. Sicut etiam quando professio est valida quoad
libertatē status religiosi, sine obligatione ad par-
ticularē religionem potest quis licite relinquere
religionis habitum in qua professus est, non est tamē
ei absolute liberum quemcunque statum assumere,
sed inter religiosos, quem voluerit, aut potuerit.
Semper etiam loquimur per se, quia obligationes,
quæ per accidens resultare possunt, non consideran-
tur in scientia; tactæ autem sunt in præcedenti cap.
Denique hîc solum explicamus quid liceat, nā quid
magis expedit pertinet ad consiliū, de quo con-
stat ex genere suo consultius esse professionem illam
ratam habere in eadem religione, vel saltem de no-
uo emittere in alia æquali, vel meliori. Quid autem
horum, vel an quidpiam aliud tali personæ consulē-
dum sit, prudētia opus est circūstantiis consideratis.

3. *Difficultas* Posito ergo deliberato animo relinquendi reli-
præcipua est gionem, hîc præcipue inquirimus, quomodo id fa-
circummodum ciendum sit; nam vt aliquid simpliciter, & omni ex
relinquendi parte licite fiat, non satis est, quod substantia sit ho-
religionem. nestra, sed etiam oportet, vt modo legitimo fiat; hunc
ergo hîc inuestigamus, & præcipue intendimus de-
clarare de decretum 9. de Regular. scilicet 23. Concilii Tri-
dentini. Præmittendam esse nullam, scilicet, vel in
conscientia tantum, & coram Deo; vel coram Deo,
& Ecclesia. Priori modo voco professionem nul-
lam, quæ tam occultum habet defectum, vt coram
Ecclesia probati non possit, siue hoc sit quia habuit
causam merè internam, vt est defectus interioris cō-
sentus; siue quia licet externa fuerit, à principio fuit
occultissima, vel certe quia licet aliquando proba-
bilis fuerit, nunc iam mortui sunt testes, vel habe-
ri non possunt. Denique quoties nullitas ita est oc-
cultā, vt non sit probabilis in iudicio. E contrario
verò, quoties professio, & in re nulla est, & defectus
in iudicio Ecclesiæ sufficienter probati potest, vo-
catur nulla coram Deo, & Ecclesia. Non addimus
autem tertium membrum, scilicet professionem in-
validam in foro Ecclesiæ, & validam apud Deum,
quia talis professio est moraliter impossibilis, &
licet in aliquo casu fingatur, nullam difficultatem,
aut quæstionem habet in presenti. Primum patet,
quia semper professio publicè, & coram testibus
fit, imò regulariter scripto consignata relinquatur,
vt de illa semper constare possit, & ideo si in re ipsa,
& coram Deo habuit omnia necessaria ad valo-
rem, poterit etiam in foro Ecclesiæ probati valida;
maximè cum professio semper præsumatur vali-
da in foro Ecclesiæ quandiu oppositum probatum
non fuerit. Secundum, patet quia licet fingi pos-
sit casus, in quo professio valida coram Deo in fo-
ro Ecclesiæ probati non possit, vel quod sit valida,
vel etiam quod facta fuerit, nihilominus qui illam e-
misit, tenetur in conscientia eam seruare, nullum-
que dubium circa illam mouere, quia ad hoc obligat
ius ipsum diuinum, & naturale, nimirum si personæ
coniter de valore professionis, nam si circa hoc er-
ret, vel dubius sit, operari tenebitur iuxta conscien-
tiam suam; nec potest tunc talis professio dici iur-

*Professio
invalida in
foro eccle-
sia, & va-
lida apud
Deum, est
moraliter
impossi-
bilis, & ideo
debet, & est
seruanda
in conscien-
tia, &c.*

placiter valida apud Deum, sed talis, qualis in con-
scientia fuit, arque adeo vel nulla si talis iudice-
tur, ex conscientia probabili, quamuis erronea, de
qua practice ita iudicandum est, sicut de qualibet pro-
fessione nulla, vel potest etiam esse dubia, de qua
nonnulla maior difficultas esse potest, quam in dis-
cursu capituli expediemus.

Interrogabit verò aliquis (hoc enim ad ea, quæ
dicimus necessarium est) quando professio nulla
coram Deo desinat esse nulla in foro Ecclesiæ. Vide-
tur enim hoc nunquam posse contingere secundum
rectam rationem; nam etiam in foro Ecclesiæ cre-
dendum videtur ei qui iuramento confirmauerit,
v.g. se non habuisse intentionem profitendi, aut al-
liud simile impedimentum habuisse; nam cum hæc
obligatio principaliter sit ad Deum, & pendeat ex
voluntate hominis, videtur maximè pendere ex
conscientia profitentis, ideoque fidem ei esse dan-
dam, & permittendum, vt iuxta tuam conscientiam
operetur, argumento cap. De viduis 27. quæst. 1. ibi,
*Nos autem nullum salubrum laqueum debemus iniicere, sed so-
lum adhortatione premis sempiternis, penamque proponere
diuini iudicii, vt & nostra sit absoluta conscientia, & il-
larum pro se rationem Deo reddat intentio.* Vnde sal-
tem videbitur sufficere, quod valor professionis
probari non possit, seu (quod perinde est) quod in
iudicio Ecclesiæ posituè non probetur, causam nul-
litas, quæ allegatur, falsam esse, quamuis etiam nec
posituè probetur sufficienter illam veram esse, sed
solo testimonio, vel etiam iuramento ipsius pro-
fitentis, quod potest confirmari ex cap. 1. de his quæ
vi; vbi in simili causa Pontifex respondet forminam
quandam, quæ religionem professā fuerat, & nul-
litatem prætendebat, tunc fuisse cogendam ad per-
manendum, cum contra eam probatum fuisset, vel
merum non intercessisse, vel postea eandem profes-
sionem ratam habuisse. Ad idem facere potest cap.
*mulieri, de iure iuran. ibi, sed sua conscientia potius relin-
quendum est.*

Nihilominus certum est, in hoc non esse creden-
dum ipsi religioso, etiam si testimonium suum, tan-
quam certum iuramento confirmet, nisi aliunde in-
terueniat sufficiens probatio, ita expresse cautum est
in cap. vidua, de Regular. ibi, *velis, nolis, sanctimoniam
habitum vltimus debet habere, licet sacramento firmare
velis, eo tenore velamen sibi imposuisse, vt dponere possit,*
vbi Panormitanus & alii aduertunt iuramentum
in his etiam, quæ pendent ex conscientia, & actu
proprio interno, non admitti, vbi in exteriori actu
est vehemens præsumptio in contrarium, & interue-
nit præiudicium tertii; vtrumque autem inueniet
in presenti; nam externa professio generat vehe-
mentem præsumptionem contra tale iuramen-
tum, & aliàs agit de re, quæ vergit in præiudicium
terti, scilicet religionis, cui per professionem ius ac-
quiritur in talē personam, imò & ipsius Dei, ad
quem principaliter spectat ius illud. Adde etiam
vergere in præiudicium boni communis, quoad
totum statum religiosum, quia si tale iuramen-
tum admitteretur, aperiretur ianua in finitis fraudi-
bus, nihilque esset firmum, aut stabile in eo statu.
Vnde licet in aliis rebus habere possit locum, quod
ibi notat glossa, scilicet quamuis iuramentum pro-
prium non sufficiat, adiutum aliis circumstantiis,
scilicet honestate personæ, & similibus; licet (in-
quam) aliàs possit habere locum, in presenti nego-
tio non admittitur, tum propter dicta, cum etiam,
quia eo ipso quod talis persona affirmat, & iurare
vult se non habuisse intentionem, nec interius con-
sensisse, confitetur se fectè, & infideliter egisse,
ac proinde non esse fide dignam. Et confirmatur à
fortiori ex matrimonio carnali, nam coniugi affir-
manti,

*Dubium
speciale ad
iuramentū
ipsius reli-
giosi suffi-
ciat ad pro-
bandum
professionem
essentialem.*

*Ad idem dicit
dum dicit.*

mani, se contraxisse exterius sine interiori consensu, credendum non est, etiam si iurando id confirmet, vt colligitur ex cap. *super eo*, de eo qui cogit. con. vxor. vbi, quamuis non exprimitur iuramentum, sed sola confessio, sine dubio comprehenditur; imò ibi additur, licet vtique coniugum confiteatur defectum occultum, non esse illis credendum in præiudicium matrimonii, nisi aliàs sufficienter probetur; ergo multo maiori ratione idem est, in præsentia dicendum. Denique confirmatur optime ex cap. *per tuas*, de probationibus vbi generaliter dicitur non esse standum iuramento alicuius, qui contra factum suum priori confessione confirmatum iurat, *Cum nimis* (dicitur ibi) *indignum sit* (iuxta legitimas sanctiones) *vt quod sua quisque voce delicta protestatus est, vt eandem causam proprio valet testimonio infirmare.* quæ verba sumpta sunt ex leg. *generaliter*. Cod. de non numer. pecun.

Quamuis autem hæ rationes potissimum procedant quando defectus professionis omnino pendet ex interiori actu, & intentione vouentis, tamen etiam vera sunt de quocunque defectu exteriori omnino occulto, & qui probari non possit, quia etiam ibi habet locum principalis ratio de præiudicio tertii, & de nouimento communis boni, & matrimonio carnali est textus expressus in dicto cap. *super eo*. Solum potest constitui differentia, quia quædo defectus sunt extrinseci, possunt allegari sine turpitudine (vt sic dicam) id est, sine contradictione in propriis confessionibus, & sine offensione prioris infidelitatis, seu fictionis; nam potuit quis bona fide profiteri cum defectu aratis sibi occulto, quem postea nouit; vel ex metu, quem ob ipsamet metum declarare eo tempore non potuit, & ideo aliquam maiorem fidem facere potest in his casibus proprium iuramentum, præsertim si iuuetur honestate personæ, & aliis circumstantiis; nihilominus tamen per se non sufficit nisi adiungantur alia sufficientia indicia, vel testimonia, nam cum illis non est dubium, quin possit sufficiens probatio consummari. Imò Innocentius in dicto cap. *vidua*, in fine, indicat hanc differentiam, quod in aliis defectibus iuramentum adiutum aliis probationibus facit præsumptionem, argumento cap. 1. de his quæ vi. De illo vero qui solum allegat defectum consensus, & intentionis, etiam si alias probationes adiungere velit, dicit non esse audiendum, nisi probet se protestationem ex iusta causa emisisse. Quod nullo iure probat, est autem per se valde consentaneum rationi; & iuris adductis dicto cap. *per tuas*, & dictæ lege generaliter.

Immo nonnulli graues Canonistæ dixerunt, in hoc negotio protestationem non esse admittendam etiam in professione tacita, vt refert Syluest. ver. Religio 3 q. 19. sed, vt ipse ait, illud ad summum procedit, quando protestatio sine iusta causa fit, quia tunc semper interuenit fictio voluntaria; quando autem iusta causa interuenit, non est ita voluntaria fictio, sed potius non est formalis fictio, quia potest tunc id fieri, non ad significandam professionem, sed ad alium finem, & ita protestatio non erit contraria factio, sed declaratoria animi. Quod optime intelligitur, & facile accidere potest in professione tacita, quæ fictio fit potius, quam verbis, facta enim non ita sunt per se ad significandum, sicut verba, & ideo possunt optime fieri propter alium finem, quam propter significandum profecti animi, & ita de probationibus consentit Nanarrus comm. 4. de regularibus, n. 74. ver. *aduertendum tertio*. In professione autem expressa, de qua loquitur Innocentius, vix potest iusta causa ad talem protestationem faciendam inueniri.

Fr. Suarez de statu rel. g. 10. m. 3.

niri, quia videtur semper contraria factio, quia illa professio fit per verba, quæ per se primò proferuntur ad significandum consensum. Solum metus videtur posse esse iusta causa; tunc autem, si metus sit sufficiens, non est necessarium, imò neque vtile protestari carentiam consensus, quia est protestari fictionem, & mendacium, sed sufficit protestari ipsum metum, ita vt probari possit, nam ipse metus reddit inefficacem consensum, quamuis ex parte hominis adhibeatur. Si autem metus non est sufficiens, tunc sicut non est iusta causa ad profectandum sine consensu interno, ita neque est iusta causa ad id protestandum, est tamen aliqualis causa diminuens culpam, & excusans aliquo modo fictionem (vt ita dicam) formalem, ideoque aliquid conferre potest, vt iuramentum in eo casu aliquam maiorem fidem faciat, vel vt admittantur alia indicia, quamuis impossibile videatur talem defectum posse vnquã sufficienter probari.

Ex his ergo satis constat, vt Ecclesia reputet aliquam professionem nullam, non satis esse, vt non probetur valide, vel, quod perinde est, nõ esse necessarium, vt directe probetur inualide, sed opus esse, vt sufficienter constet exterius factam esse, eum tali defectu irritante; quia in dubio in fauorem professionis iudicandum est, sicut de matrimonio carnali omnes fatentur: de quo videri potest Palud. in 4. d. 27. q. 2. Sot. q. 1. & ibi alii. Couarruias in 4. 2. p. cap. 2. & Nauar. in Summa cap. 22. n. 76. Neque obstant iura in contrarium allegata; nam cap. *de v. diuis*, non agit de voto solemnibus, sed de simplicibus, vt supra vidimus, de quo est alia ratio, quia non continet traditionem, nec professionem ita publicam, &c. in cap. autem primo *de huius quæ vi*, erat sufficiens probatio metus, & ideo oportebat per contrariam probationem ostendere fuisse sublatum: caput aut *mulieri*, non est ad rem, quia loquitur in casu longe diuerso, in quo nec præiudicium tertii, nec alia rationes supra factæ interueniebant, & nihilominus etiam in eo casu non adhibetur fides iuramento in foro externo, & ideo non prohibetur mulier alteri nubere, quæ prius iurauerat cum alio contraxisse, qui adhuc viuunt, quia illud prius matrimonium in foro Ecclesiæ sufficienter probatum non est.

Prædicta ergo distinctione supposita, dico primò eum, qui certus est in conscientia professionem esse nullam, & in foro Ecclesiæ id probare non potest, habere ius per se loquendo relinquendi religionem propria auctoritate, & assumendi quemcunque alium statum, etiam matrimonium. Addo autem semper, per se loquendo, quia hic solum agimus de obligatione ex vi professionis tali modo factæ, quidquid sit de aliis impedimentis, quæ vel ex scandalo, vel ex aliquo alio voto prouenire possunt. Et videtur assertio clara, quia in eo casu non tenetur quis in conscientia permanere in religione; habet ergo ius libertatis suæ: sed non potest hoc ius obtrudere per Ecclesiasticum iudicem; ergo potest sua auctoritate illud exequi, & recuperare, vt recte sentit Nauar. supra. Confirmatur primò; nam si talis persona fugiat, non faciet iniuriam religioni, quia non priuar illam aliquam re sua; & ideo postea nec seipsum, nec quidpiam aliud tenetur ei restituere; nec etiam peccat in Deum, quia nullo modo se illi obligauit; nec deniq; peccat ratione modi recuperandi suam libertatem, quia in eo casu non est alius modus possibilis. Vnde in aliis rebus minoris æstimationis potest quis bona sua ab alio possessa propria auctoritate accipere, quando per publicam potestatem non potest, & alioqui certus est illa esse sua & ab alio sine titulo in re ipsa iusto detineri. Et in causa libertatis, qui in seruitute iniuste detineretur, etiam si dominus sit in bona fide, & in exteriori foro non possit probare libertatem suam, licet

8. Quid requiratur, ut Ecclesia reputet aliquam professionem nullam.

9.

potest fugere, & libertatem suam recuperare. Denique etiam in causa matrimonii, si quis per metum cadentem in constantem virum cogatur matrimonium contrahere, & postea non possit in foro exteriori metum probare, potest in conscientia de facto se separare, & fugere: nisi ob aliam iniuriam, vel extrinsecam rationem ad aliud obligetur; ergo idem est in presenti dicendum.

10. Solùm potest esse dubium quando ille à principio iniuriam fecit religioni, profitendo sine consensu interiori, seu intentione, vel cum alio defectu occulto quem ipse sciebat. Dico tamen hanc iniuriam non esse talem, quæ sit necessariò refarcienda per professionem, sed si aliquod damnum temporale illatum à religione, satis erit illud restituere. Si autem nullum fuit detrimentum præter deceptionem, satis erit agere penitentiam illius peccati, quia illa iniuria consistit magis in modo quam in re aliqua, quæ restitutionem postulat. Et eadem ratione si talis persona priùs bona fide professæ est, postea verò cognito defectu fuit in mora vel ratificandi professionem, vel relinquendi religionem, tenebitur quidem restituere quidquid de bonis religionis in proprios usus consumpsit; non tamen propterea priuabitur iure fugiendi, & recuperandi statum suum, & in restitutione faciendâ poterit cum proportione computare obsequia religioni facta eo tempore, vt Nauarrus supra aduertit. De illo autem tempore, in quo bonâ fidem habuit, non est eadem ratio, quia tunc iuste consumpsit, quæ de bonis religionis accepit. Possit autem oriri dubium, quando illa mora in religione tempus quinquentium excessit, præsertim post conscientiam delicti vel defectus, an nihilominus semper sit integrum fugere. Sed de hoc dicemus meliùs in puncto sequenti.

11. Dico secundò, quando professio inualida probari potest coram Ecclesia, non debet is, qui publice professus est, & exilimatur religiosus, relinquere habitum, & statum propria autoritate, sed petendo libertatem suam ab Ecclesiastico prelato. Hoc colligitur ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. de Regularibus; ibi; *Et tunc non aliter nisi causas, quas pretendunt, deduxerit coram superiore suo, & ordinario. Quod si antea habitum dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio sua religionis iuuatur.* Quæ verba manifeste supponunt, quantumcumque aliquis possit pretendere iustas causas nullitatis suæ professionis, non posse licite sua autoritate habitum dimittere, alioqui non tam grauius puniretur, qui id fecerit. At verò Nauarrus dicto comment. 4. de Regular. n. 77. non obstante hoc decreto putat non obligare in foro conscientie, atque adeò non peccare eum qui scit, vel iuste credit professionem suam coram Deo non valuisse, & propterea dimittit habitum, & fugit sua sponte, non aliter reclamando, nec causa nullitatis coram ordinario allegando, nec propterea incurrere pœnam apostatæ, nec tenei iterum ad monasterium redire; quæ omnia nulla alia ratione probat. Fortasse autem motus fuit, quia Concilium nullum habet verbum præceptiuum, & ideo videtur illa dispositio merè pœnalis, scilicet, qui talem ordinem iudiciale non seruauerit in pretendendo tali iure, in foro Ecclesiæ non audiatur, &c. Sed nihilominus assertio posita verior videtur, tum quia non est verisimile, Concilium tam grauem pœnam imposuisse propter illum actum, nisi graue peccatum esse supponeret; esto enim priuare velit priuilegijs, vel fauoribus eum qui ad prelatum Ecclesiæ non recurreret, vt meliori modo, & ordine ius suum obtineret, cui tamen pœnam tam acerbam adiunxit, si in rigore ille potest bona conscientia fu-

gere, & habitum relinquere? tum etiam, quia per se se videtur actus ille perniciosus bono communi atque contrarius religionis, vel saltè contra iustitiam legalem, quia quando aliquis habet ius ad rem, vel in re, quam alius possidet, præsertim iuste, non potest sua autoritate illam vsurpare, sed debet vt autoritate iudicis, quando commode potest, quia oppositum est, contra bonum ordinem Reipub. & non per accidens, sed per se inferre potest scandalum, & perturbationem. Quod tanquam certum suppono ex materia de iustitia, & de restitutione: ergo idem dicendum est in presenti, est enim in omnibus eadem vel maior ratio.

Itaque cetero primùm obligati in conscientia huiusmodi publice professum, non relinquere habitum, nec statum propria autoritate. Secundò, si id faciat grauius peccat, & præterea tenetur in conscientia non vt priuilegijs religionis, non solùm, quia per Concilium priuatur illis, sed etiam, quia supponitur ipsum certò scire se non esse verum religiosum, & per illum exitum amittit omnem ius, quod habere possit, ad gaudendum illis priuilegijs, quandiu in foro Ecclesiæ erat in statu religioso. Et hoc etiam Nauarrus fatetur. Tertio nihilominus censeo, postquam semel exiuit, quamuis malè fecerit, non tenei ad religionem redire; quia nec ratione professionis tenetur, cum supponatur nulla, nec Concilium illam obligationem imponit, sed solùm ait, vt cogatur in monasterio permanere, non verò vt ipse teneatur redire; neque etiam ex culpa commissa, per inordinatum exitum, oriri potuit talis obligatio, quia si aliquod culpæ commissum fuit, in modo potius, quam in re ablata, vt sic dicam, positum fuit, & ideo non obligat, quasi ad restituerdam illam; non ergo tenetur talis persona ad religionem redire. Quartò verisimilius censeo non incurrere hanc personam ipso facto excommunicationem, vel pœnam aliquam ipso iure impositam propter apostasiam à religione. Probat, quia non incurrit illam ex vi iuris antiqui, neque ex vi Concilij Tridentini; ergo non incurritur. Prima pars antecedens patet, quia ille verè, & in re non est apostata, licet exterius appareat, sed, si aliquam committit culpam, solùm est propter indebitum modum vsurpandi suam libertatem, quæ culpa non est vera apostasia; vel est tantum imperfecta propter exteriùs speciem; ad incurrendam autem censuram à iure impositam, oportet committere culpam perfectam in specie prohibita, vt ex propria materia suppono. Altera pars antecedens patet, quia Concilium solùm dicit, *tanquam apostata puniatur*; vbi extendit quidem pœnas apostatarum ad hoc delictum, non tamen ipso facto incurrendas, sed per iudicem imponendas. Quin potius addo, quauis talis persona sub excommunicatione iubeatur redire, & vt contumax declaratur, nihilominus in conscientia non obligari, nec ligari censura, nisi quoad exteriorem obedientiam eius. Ratio est, quia ibi præceptum solùm est ex præsumptione, & ideo cum rei veritas non subsistat, non obligat.

Dices, non tantum ex præsumptione, sed per se propter Ecclesiæ satisfactionem potest talis persona iusto præcepto obligari ad comparandum, ad reddendam rationem sui facti, & probandum quòd Religiosus non sit. Respondeo, si tantum ad hoc iudiciale citaretur, & securus posset accedere, sine dubio obligaretur, vt ratio probat; tamen, quia potius audiendus non est, vt Concilium dicit, sed potius puniendus, ideo redire non obligatur in conscientia, cum reuera obligari non possit ad perseverandum in statu, quem coram Deo non habet, atque ad assumendum illum, cum sit opus Concilij, & valde difficile. Et quoad hæc duo vltima puncta placet sententia Nauarrj.

Addenda

Addenda etiam limitatio, quam ipse etiam ibi in-
 sinuat, scilicet excusari à culpa huiusmodi personam
 propria auctoritate dimittendo religionem, vel fu-
 gendo, quando vel ob eam rem in carcere detine-
 tur, vel aliter impeditur, ne ius suum postulet, vel
 non potest alia via vexationem illam vitare; tunc
 enim, nec ius positivum obligat cum tanto rigore,
 nec naturalis ratio, quia tunc non conceditur alia
 via legitima obtinendi ius suum. Quin potius, si in
 Ecclesiastico foro probare possit coactionem, vel
 impedimentum, atque adeò morale necessitatem
 talis exitus, etiam in eodem foro cessabit rigor
 Concilij, neque obstabit ille exitus, quominus talis
 persona audiatur, si libertatem suam probare velit.
 Quod etiam Nauarrus docuit n. 78. quia ille exitus
 potius necessitatis fuit, quam voluntatis; quod sine
 dubio est valde consentaneum æquitati. Quod et-
 iam vñs prælatorum, & præsertim in curia Roma-
 na, confirmat, obsecratur autem, vt talis persona ha-
 bitum religionis reassumat, dum causa tractatur, sub
 securitate, & libertate sufficienti ad illam profes-
 quendam, quod & per se maxime decet, & religioni
 quodammodo debitum est, ne ante sententiam la-
 tam re, quam possidebat, Ecclesia approbante pri-
 uari videatur.

Vnde addit vltimus Nauarrus, etiam si quis teme-
 re habitum dimitteret, si postea velit illum reassu-
 mere ad hunc effectum, vt audiatur, non esse illi au-
 dientiam denegandam: putat autem Concilium
 esse ex quadam æquitate intelligendum, scilicet,
 quod non audiatur, quando fugitiuus, & sine habi-
 tu permanfit. Nam si petita securitate, paratus sit ad
 reddendam rationem, & probationem si ad iuratur,
 inhumanum (inquit Nauarrus) esset illi perpetuò
 audientiam denegare, nam esset illum cogere, vel ad
 seruendum perpetuò religioni, eum alius liber sit,
 vel ad ducendam vitam in quietam in perpetuo exi-
 lio, timore, & periculo. Quæ sententia pietati con-
 sentanea est, quæ maxime mouit Nauarrum, quia
 non agnoscit culpam in illo temerario exitu; tamen
 supposita culpa, quam nos explicuimus, cum in eius
 penam illi audientia denegetur, non est res adeò in-
 humana, si rigor ille necessarius visus est ad conti-
 nendum in officio huiusmodi religiosum. Nihilomi-
 nus tamen æquitatem illam non improbo, sed fe-
 rentiam illam Concilij intelligo ad literam serua-
 dam, cum is qui post talem exitum, nunquam volun-
 tate redeunt, si inuiti capiuntur. At verò si quis vo-
 luntate redeat, quamuis aliqua pœna affici possit
 religiosus accommodata, satis consentaneum est ra-
 tioni, vt non obstante priori delicto audiatur, vt au-
 tem omnis scrupulus cesserit, tutius erit ad summum
 Pontificem accedere, & coram ipso, vel ex commif-
 sione eius audientiam postulare, quæ, vt existimo,
 nunquam denegabitur.

CAPVT IV.

De quinquennio à Concilio præscripto.

Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 19. de Re-
 gular. occurrere volens perturbationibus, quæ
 prætextu professionis inualidæ in religionibus exci-
 tati solent, statuit, vt omnes religiosi, qui voluerint
 huiusmodi causam nullitatis suæ professionis præ-
 tendere, ante quinquennium elapsum illam inten-
 tent, alioqui post illud quinquennium non audian-
 tur. Explicat autem, hoc quinquennium computan-
 dum esse à die professionis, quod sine dubio intelli-
 gendum est de professione non tantum expressa, sed
 etiam tacita, quia Concilium indistincte loquitur, &
 vtraque est vera, & (vt ita dicam) professio vniuo-
 ce, & ideo non possumus nos Concilij decretum li-
 mitate. Quis autem sit dies professionis, à quo quip-

quennium conputandum est, in professione expres-
 sa per se satis patet: in tacita vero obscurior apparet,
 & ideo multa de illa dicit Nauarrus supra.

Dico autem breuiter nunc esse diem illum, in quo
 aliquis complet integrum annum in religione de-
 ferendo semper communem habitum professorum;
 vel illum in quo post expletum annum probationis
 proprium habitum professorum assumpsit, nã ex tunc
 potuit reputari tacite professus, & non antea. Nam
 licet olim assumptio huius habitus distincti, seu
 proprii professorum, quocumque tempore fieret,
 etiam à principio, esset sufficiens signum professio-
 nis tacitæ; nunc autem non videtur sufficiens, nisi
 post annum expletum, quia si antea fiat, ipsa circum-
 stantia temporis impedit talem significationem. Di-
 ces, professio expressa, etiam si fiat inter annum no-
 uitiatus, sufficiens est, vt ab illo die quinquennium
 computetur; ergo idem erit de professione tacita
 per assumptionem habitus proprii professorum. Res-
 pondeo primò, non esse similem rationem, quia vbi
 est expressa significatio, cessant coniecturæ, & ita est
 in professione expressa, quæ ex se satis ostendit ani-
 mum profitendi, etiam si intemptiue fiat, in profes-
 sione autem tacita est implicita significatio, tantum-
 que præsumpta voluntas; fundatur ergo in coniec-
 tura, quæ ex circumstantia temporis multum pen-
 det. Deinde addo probabile esse, quamuis professio
 expressa ante completum annum probationis fiat;
 quinquennium non esse computandum, nisi à die
 completi anni probationis, in quo potuit prior pro-
 fessio rata haberi; nam ille defectus hodie tam est
 manifestus, & publicus, vt regulariter non videatur
 posse iuridice præsumi professionem illam, quamuis
 expressam, factam esse animo verè profitendi ex tunc,
 sed ob alios fines; Concilium autem videtur voluisse
 concedere tempus quinquennij habile ad ratifi-
 candam professionem; nam lex illa in hac præsum-
 ptione fundatur, vt magis ex dicendis constabit.

Secundò ergo aduertendum est, Concilium in eo
 statu supponere, vel potius introducere iuris præ-
 sumptionem, quod is qui per quinquennium in re-
 ligione mansit, & nunquam reclamauit, aut à prin-
 cipio veram professionem fecisse, aut in eo tempo-
 ris discussu eam ratam habuisse, & ideo deinceps
 statuit non esse audiendum. Dubitari autem potest;
 an potuerit Concilium efficere, vt talis homo velit
 nolit religiosus sit, etiam si ex parte voluntatis eius
 non sit verum quod præsumitur. Posset enim aliquis
 existimare, quod sicut per legem præscriptionis, ex
 efficacia legis res præscripta transfertur in dominium
 præscribentis, etiam si consensus prioris domini nun-
 quam intercesserit; ita ex efficacia huius decreti in-
 teruenire hinc quoddam genus præscriptionis per
 quinquennium, ratione cuius, & religio acquisierit
 ius, & dominium in religiosum, & religiosus reuera
 maneat subiectus, & incorporatus illi, etiam si re-
 uera prior professio valida non fuerit, neque ipse
 postea per proprium consensum ratam illam vn-
 quam habuerit. Sed hoc duobus modis potest in-
 telligi. Vnus est, vt ex efficacia huius decreti aliquis
 fiat religiosus, sine proprio consensu. Alius est, vt li-
 cet forte non sit religiosus, quia nunquam consensit,
 nihilominus ex vi huius decreti obligetur in con-
 scientia ad permanendum in religione, & consen-
 tiendum.

In priori sensu existimo rem esse impossibilem,
 quia consensus adeò est intrinsecus professioni, &
 statui religioso, vt sine illo repugnet fieri, saltem
 per humanam potentiam, sicut repugnat fieri vincu-
 lum, seu statum matrimonij sine consensu persona.
 Item, quia de essentia professionis sunt tria vota
 substantialia, vorum autem est actio personalis, quæ

Dubitatio,
 præscriptam
 si appo quinquen-
 nio, vel nolit,
 manet; Con-
 sensus religio-
 su.